

riaturæ. Deficiunt denique Sforziani, ac pæne centum capti. Moventur in subsidium. Alexandri acies; Bracciani ad Scipionem victores revertuntur. Scipio pugna accingitur, sed quia erant nostri numero longè pauciores, Tiberti Ducis consilio, qui semper Scipioni aderat, veteri etiam parentum familiaritate, decretum est suo loco aggredientis hostis adventum commorari, quo cautior esset eis defendendi atque offendendi locus. Placuit consilium Scipioni. Alexander cum aut iniquo loco pugnaturum se cerneret, aut fratris nuntio subitum Scipionis adventum miraretur, vel opinatus plures esse hostium acies, plures pedes: constitit, nec ultra progressus est. Sic neuter aggredi ausus est, majorem ille numerum formidans, & paratas insidias; Scipio quod non pari Marte se dimicaturum certo intelligebat. Abiens igitur Alexander prior, reflectens acies, illaso Scipione, ad fratris castra se se trajecit. Scipio Brixiam venit, ne fortasse aliqua ex parte ab hoste offenderetur, in qua ad mediam ferè noctem percunctatus est; intempesta autem nocte exercitum, unde discesserat hostis, spolia in partem referens petiit. Incredibile dictu est, Dive Rex, quot ex utroque Ordine milites ab Annibale ad Scipionem transfugiant, à Scipione verò nulli, ab aliis Ducibus & Centurionibus multi, præsertim milites, non ut Annibali adsistant, sed Florentiam peturi. Erat enim fama, indictum esse justum abs te bellum in Florentinos, & validissimum Majestatis tuæ exercitum Don Ferrando unigenito filio tuo Duce in Etruriam venturum, qui contra Florentinum agrum arma tractaret. Illuc ergo cupedenarii permulti concurrebant, quorum nulla exstare gloria potest, quandoquidem laudi bonaque famæ pecuniam anteponunt. Sed redeo ad rem.

Per multis diebus Mars, timore deposito, siluit, & arma contabuerunt. Annibal castrorum loca mutare non audeat, ut alere in alieno agro exercitum possit. Nos deteriorum conditionem veriti, ne astutiâ Annibalis circumveniremur, XVI. Calendas Sextiles eodem in loco corroboravimus. Interea clarissimus Vir Franciscus Barbarus ad magnificentum Gentilem exercitus Gubernatorem luculentam ac gravem Epistolam scripsit in hanc sententiam: quod cum indictum sit bellum à Senatu Veneto in Annibalem pro Pace Italiæ, cumque ad eam rem ipse delectus sit exercitus Gubernator, omnium Senatorum suffragiis admonet, atque hortatur hominem, ne collatis signis, aut ab Annibale vocatus, aut inconsulto, dimicare audeat, præsertim cum ipse velit, aut cum sibi ipse locum delegerit, nisi occasio se obtulerit rei bene gerendæ, aut si æquo loco dimicetur; ostendens pluribus verbis, ingenium plerumque viribus anteponi, & Venetorum Imperium non tam militum numero, & auxiliorum multitudine, quam virtute stare & sapientia; præsertim cum nec commeatu, nec stipendium, nec Sociorum vires, nec demum viscera caritatis sibi defuturae sunt; ponens propterea ante oculos, non deesse sibi clarissimos Duces, & veteranorum utriusque Ordinis militum copias, qui sint virtute, fide, & militari gloria præstan-

A tes. Addit quin etiam futurae victoriæ hujus belli spem ne parvam quidem, cum brevè putet, commeatu, supplementa rerum, pecuniam, milites etiam perpetuos hosti defuturos; immo victum Annibalem humanis necessitatibus ab agro Brixienti, in quo nec castra locat, cedendo Gentili discessum, propterea quod à fronte, à tergo, & à latere Sociali bello distrahetur, quod ne auro quidem cum Venetis certare potest, quod nullum Regnum violentum potest firmum esse & diuturnum. Concludit tandem plurimorum Imperatorum exemplo, ut voto hostis pugnare non debeat, sed ubi hostis non vult, tunc illum, si modò possit, dimicare cogat, cum victoriæ hujus belli sit tota ferè Gallia, & pars non parva Italiæ præmium. Iterum atque iterum admonet, ne quid cum hoste temerè agatur, qui militando consenuit. His literis, Serenissime Rex, tanti sit ab hoste Annibal, ut magni Pompeji, & Caji Cæsaris auctoritate par ac superior esse videatur. Primum quidem præcautum ait ad tanti exercitus Gubernatorem, ne nisi data occasione cum hoste ferum tractet; ne, cum velit, manus conserat; vocatus ad pugnam non eat, ne iniquo loco intercipiatur; videat propterea, ne quid cum hoste inconsultè agat. Illi per insidias insitamus, quòd ea ille militari arte vincatur, qua sæpe victor extitit: Sæpe de hostis auctoritate cogitemus, nec parva de re bellum geri. Denique cogitet Rempublicam Venetorum Italiæ dignitatem, salutem tot Provinciarum ac Sociorum suis humeris sustinere, suæque fidei ac virtuti esse mandata. Postremum est, hæc non esse dicta illius monendi gratiâ, cum nihil eum fugiat, quod spectet ad disciplinam militarem, sed quòd suæ laudi & amplitudini suæ dignitatis perlibenter favet, etiam causa patriæ, ne quid in hoc bello detrimenti, aut ignaviâ, aut temeritate patiatur.

D Habes, Dive Rex, quid Epistola eloquentissimi, ac prudentissimi Viri Francisci Barbari velit. Nunc ad rem. Cum ab utraque militia castra firmarentur, pars equitum ac peditum nostrorum, unde facilius agri hostiles offendi queant, distributa est. Matthæus Capuanus, Evangelista Sabellus, Nardus Antonius Cajetanus, Petrus Paulus Aquilanus, & Johannes Polonus, duce Carolo, Braccii maximi Ducis filio Ceretum dimissi sunt, quod Oppidum citra Abduam Flumen in agro Cremæ positum est. Hic pons constructus est, & in ejus capite Castellum terremium, quod Bastitam dicunt, quo facilius in agrum Mediolanensem discurrerent, atque in omnem, qui sub Annibalis ditione positus est. Ipsi muniti vallo, ac fossis profundis latisque, undique discurrunt, vastant, diripiunt, populanturque omnia. Annibal, ne id pateretur, enervat exercitum, quem habebat nostro haud impari, vel superiorem fortasse equitum numero, quamvis peditate longè vinceretur. Ergo præsidia distribuit. Alexandro Sfortiæ in Alexandriam proficisci, ut ferebatur, cum XII. aciebus fortissimis imperat, etsi in ejus subsidium octo & X. Cohortes Johanne Nucis Duce antemisisset; opprimebatur enim ea Civitas à Guilielmo Duce Montisferrati Marchionis germano, qui nonnulla Alexandrini agri Oppi-